

actiones edit nobilissimas, & generationi ac corruptioni non est obnoxium: ita etiam hic spiritus, ob formæ, quam nobiliorem quàm elementa obtinet, præstantiam, nobiliores actiones edit, & τῶ τῶν ἀσπερων σπικείω forsan non immeritò ἀνάλογος nominatur. Verùm hæc Philosophis diligentius perpendenda relinquimus.

Subiectū  
calidi in  
nati.

Porro cum partes duplices sint, aliæ spermaticæ seu solidæ in specie appellatæ, aliæ sanguinæ; seu quælibet pars, ut Galenus, 10. meth. med. cap. 11. docet, duabus substantiis constet; una fibrosa, quæ primò generatur in formatione fœtus, & stamini similis est; altera carnosa, quæ fibrosæ quasi subtegmen adnascitur: & generatione & natura priores sint spermaticæ; unde & πρῶτα μόρια appellantur, utpote quorum quasi παρειγχύματα sunt sanguinea: manifestum est, in spermaticis à primo ortu quasi fundari humidum illud primigenium & radicale, calidumq; nativum.

Calidi  
innati  
plurimū  
in corde.

Et si verò cuilibet parti suum sit calidum innatum: tamen principatus calidi nativi & humidi radicalis in corde est, quod ex spermatico humore, seu solida fibrosa substantia & calido admodum sanguine concretum est, unde Galenus etiam ὄψιαν τῆ ἐμφύτης θερμῆς, focum calidi innati nominat. Ab eo enim, tanquam foco, calor influens, quo corpus animalium ad tactum calidum apparet, in omnia membra

diffunditur; de quo mox dicetur.

Ex his quæ calidi innati essentia sit, si non satis, certè non parum perspicuum fieri arbitramur. De usu atque officio ejus aliquid adhuc addendum est.

Est autem calidum hoc innatum præcipuum animæ organum, quo omnes vitæ actiones obit, & quicquid salutare in nobis & utile in generatione, nutritione, alimentorūque confectione perficitur, exsequitur. Per hoc Natura morbos morborumq; causas & omnia mala depellit, &, secundum Hippocratem, morborum medicatrix est.

Atque hæc calidi innati dignitas & utilitas efficit, ut nonnulli ipsum atque animam ferè pro eadem re haberent, & præclaris atque insignibus nominibus appellarent, atque essentiam vitalis potentia, facultatem nos gubernantem, animæ substantiam, omniumque functionum autorem nominarent. Sicut cum ex aliis locis, tum Galeni, lib. de marcore cap. 8. videre est, ubi Galenus calori innato nutrimenti attractionem, elaborationem, appositionem, agglutinationem, augmentationem, corporis auctorem, partium omnium omnem omnino conformationem adscribit. Quæ nisi sano sensu accipiantur, & calido innato, ut præcipuo & summe necessario animæ, quæ corporea non est, & omnium actionum & facultatū prima origo, instrumento attribuantur: reprehensionem

Ufus ca-  
lidi in-  
nati.

Ejusdem  
dignitas.